

primum, dum efficitur, ut res ipsi plane auferatur, dein, quum rem quidem ab illo retineri permittimus, sed impedire studemus, quominus is, qui possidet, ita de re disponere possit, ut damnum nobis ex eo oriatur. Cuius rei exempla haec sunt, dum res obsignatur, omnia, quae adsunt, consignantur, aut usus rerum impeditur alio quocunque modo. Qui quidem duplex sequestrandi modus non nec minus diuersitate, sed re tamen distinguitur. Nec inutilis est haec distinctio, quum illud postremum, quod diximus, sequestrationis genus, quod late patet, saepissime aut exigatur, aut discernatur, quasi sequestrum non sit, ideoque incidat saepe quaestio: iurene hoc fieri possit, an iniuste? Sed reuertor ad primum genus, quo re sequestranda plane priuatur is, ex cuius possessione damnum nobis metuimus, ubi noua incidit quaestio: quo fine id fiat? Et respondetur: Fieri id posse aut ideo tantum et vnice, ut ne alter in nostri praeiudicium de re illa disponat, aut ideo quoque, ut omni possessione rei, quam ciuilem vocamus, priuetur. Ita enim IULIANVS <sup>f)</sup> distinguit. Quod ut vtrumque comprehendere-  
mus definitione nostra, diximus generaliter, id agi in sequestra-  
tione, ut quid in tuto collocetur. Sed quacunque intentione vel  
mente dimissa res sit a possessore, amplius iam quaeritur, qua ra-  
tione alter tutus praesletur a periculo, quod metuit? Potest au-  
tem id ipsum dupliciter fieri. Aut enim tertio cuidam committi-  
tur

e) cuius rei elegans est ex ima praxi desumptum exemplum vna cum responso ICtorum Helmstadiensium apud LEYSERVM *spec.* 177. med. 1. 2. f) c. interesse puto 39. D. de acquirenda vel amitt. possess.

disserit CORASIVS *l. c. n.* 7. seqq. item COTHMANNVS *Respons. Acad.* 51. n. 318-329. Add. MEVIVS *P. 2. Dec.* 239.